

B. h. II 57.  
h. 42, b.

x 1879294

Q. D. B. V.

PK  
2804

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**PRÆSCRIPTIO-**  
**NE REGALIUM**  
**AD JURA SUBDITORUM**  
**NON PERTINENTE,**  
QUAM

DIRIGENTE

Dn. CHRISTIANO THOMASIO,  
Jcto CONSILIA R. ELECT. BRANDENB. PROFESS.  
PUBL. ACAD. FRIDER. SENIOR.

ALI D. 4. MAI. ANN. M DC XCVI.

IN AUDITORIO MAJORI  
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI  
SISTIT  
GEORGE RUDOLPH Schloßer,  
SERV. ANH. AUTOR.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
LITERIS VIDUÆ Salfeldianæ.

29

28.







DISSE<sup>T</sup>ATIONIS  
De  
PRÆSCRIPTIONE REGALIUM AD JURA SUB-  
DITORUM NON PERTINENTE,

CAPUT I.

Generalia circa terminos Tituli & statum  
controversiæ continens.

SUMMARIA.

1. *Ingressus.*
2. *Præscriptionis Etymologia.*
3. *Eiusdem vocis Homonymia.*
4. *Quomodo præscriptio definiatur?*
5. *Præscriptionis divisio, & in quo utraq; præscriptio differat.*
6. *Altera utriusque præscriptionis differentia.*
7. *Regalium vox ejusque Etymologia & Homonymia.*
8. *Definitio Regalium & diuisio.*
9. *Soli majestati proprie Regalia competunt.*
10. *Subditorum nomine qui veniant.*
11. *Cui per subjectionem jus acquiratur?*
12. *Inter eos qui civili vinculo junci non sunt, locum habet  
præscriptio.*
13. *Subditi invicem per præscriptionem acquirere possunt.*

A 2

14. *Quam-*

14. *Quamvis inter eos de Regalium præscriptione quæratur.*
15. *An subditi Regalia contra Principem præscribere queant? hic indagandum.*

### §. I.

**N**on ignoro B. L. materiæ fertilitatem exiguis hisce paginis includi vix posse, ejusque tractationem accuratioris limæ indigere. Sed conatus meus eo non rendit, quippe cum hic non solum summæ Majestatis, sed & ex hoc vasto mari scaturientium rivulorum, Regalium puta, accuratior requiratur tractatio. Jussis potius Patronorum, quos veneror, parere, & loco publicæ Dissertationis materiam DE REGALIUM PRÆSCRIPTIONE INTUITU SUBDITORUM per Summa capita delineare volui. Quodsi reperiantur forte, quæ a communiter receptis opinionibus aliena videntur, veniam commissi merebor, si demonstravero, penitorem Juris Publici inspectionem alias conclusiones non admittere.

§. II. Priusquam vero ad ipsum thema progressiamur, suscipienda erit nominum explicatio, nisi enim certus nominum significatus adsit, disputatio de rebus erit frustranea. Præscriptionis itaque vocabulum nomen fuit fortitum a præscribendo, quia Legibus præscriptum est tempus intra quod aliquis suum jūs prosequi tenetur sub pœna amissionis. *Habn. ad Wesenb. tit. de Usurp. & Usuc. num. 3.* & inde etiam temporis præfinitio dicitur. *Schneidew. ad 3. tit. de Usuc. ad pr. num. 6.* Nec obscure hinc patet, Præscriptionis vocem suam debere originem Juri Civili, quia illo demum Jure facta fuit certa temporis

ris determinatio, ubi e contrario deficiente Jure Civili quanticunque etiam temporis possessio jure suo neminem privare poterat. Exemplo esse poterunt actiones ex Legibus, SCris & Constitutionibus descendentes, quæ antiquitus perpetuo competebant. pr. *J. d. perpet.* & temp. act. Franzk. Exerc. 5. q. 7. num. 2.

§. III. Hujus vocis variæ acceptiones passim occurserunt, quarum præcipuas in medium proferre non abs re erit. (1) Denotat in actionibus circumspectionem temporis, loci, modi aliarumque circumstantiarum. *Wesenb. ad ff. tit. d. Except. num. 4.* Aliter (2) accipitur in *l. pen. C. Fin. Regund.* ubi per præscriptionem intelligitur præfinitio seu determinatio spatii. *Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 14. th. 57.* Intelliguntur etiam (3) per præscriptionem, exceptiones *l. 11. ff. d. Except. l. 8. & ult. C. eod. & passim:* Quia Reus præscribit Actori quomodo aetio institui debat, addendo nimirum exceptionem. *Gudelin. d. Jur. Noviss. Lib. 3. cap. 15.* Ita ut hoc sensu omnes exceptions dicantur quoque præscriptiones. *Zang. tr. de Except. Part. I. cap. 3. num. 25. & seqq.* Nonnulli tamen (4) eam vocem propriæ ad dilatorias aut declinatorias tantum referre malunt. *Wesenb. tit. d. Except. num. 4. in fin. Struv. Exerc. 46. th. 3.* A quibus discrepat (5) *Gotboredus ad Rubr. tit. ff. d. Except. lit. C.* qui exceptionum nomine nominatas, præscriptionum nomine innominatas seu in factum exceptiones venire statuit. Et (6) *Ludwell. Exerc. ad J. 17. th. 1. lit. B.* restringens hanc vocem ad temporis exceptionem. arg. *Rubr. ff. d. Divers. temp. præscr.* Quo sensu ab usucapione adhuc hodie discrepat, quia per hanc præscriptionem non jus dominii sicuti per usucaptionem acquiritur, sed exceptione demum possessor munitur. *Iunic. C. d. Usuc. transf. Wesenb. d. Usucap. num. 8.* Deni-

que (7) hujus vocis significatus adeo late patet, ut præter temporalem etiam rerum præscriptionem seu usucationem late dictam contineat. *Habn. ad Wesenb. tit. d. Usuc. num. 3.* Hæc rerum præscriptio proprie est hujus loci, quatenus per eam intelligitur omnis præscriptio, qua dominium acquiritur, sive hæc fiat longo, sive longissimo, sive immemoriali tempore.

§.IV. Describitur hoc sensu præscriptio, quod sit acquisitionis dominii per diu quietam & non interruptam possessionem facta eum in finem, ut societas non turbetur. Dicitur *acquisitio dominii* quia Leges efficiunt, ut res per diutinum tempus possessa fiat possessori propria, ut ita re ista non tantum pro libitu uti, sed alios insuper turbantes repellere queat. Patet præterea, allatam definitionem *quietam & non interruptam possessionem* requirere, ac merito, sine possessione enim usucatio contingere non potest *l. 25. ff. d. Usuc. cap. 3. d. Reg. Jur. in 6to.* nec etiam sine continuata possessione *l. 3. ff. d. Usuc. Mev. 2. Decis. 102.* Quam ob rem omnis interruptio tam civilis quam naturalis impedimento est. *l. 3. C. de Præscr. XXX. ann. l. 7. pr. C. eod. l. 5. ff. de Usuc. l. 10. C. d. acquir. possess. Schrad. de Feud. Part. 5. cap. 4. num. 20.* Continuationem tamen mediæ temporis ex probatione extremitatum Dd. præsumunt, ita vero, ut hæc præsumtio probationem in contrarium admittat. *Schneidew. ad J. tit. de Usuc. num. 16. Carpz. Part. 2. Const. 3. def. 26.* Finis propter quem præscriptio introducta est, in conservatione publicæ tranquillitatis & humanæ societatis consistit. *Struv. Exerc. 43. tb. 2. quæ promovetur quam maxime, si dominia sunt in certo, & litium finis est.*

§.V. Cum vero ratio humana non tantum in Civili societate suadeat socialitatem, sed toti humano generi  
can-

eandem commendet; hæc vero utrinque maxime pro-  
moveatur, si confusiones dominiorum evitentur & pos-  
sessiones rerum immotæ conserventur, ne variis litibus  
& bellis sint obnoxiae: *Pufend. d. Jur. Nat. & Gent. Lib. 4. c.*  
*12. §.5.* Hinc præscriptionis finis in sola civitate non ter-  
minatur, sed ulterius in societatem Gentium sese diffun-  
dit. Commodo igitur præscriptio dispesci potest in  
eam, quæ est Juris Civilis, & eam, quæ est Juris Gentium.  
Huius distinctionis fusiorem explicationem adducere  
supercedo, dicta enim ad institutum nostrum suffice-  
re possunt. Saltem circa utriusque præscriptionis dif-  
ferentiam quædam admonere haud erit inconveniens.  
Nam, cum in Gentium societate omnes sint pares, nec  
quenquam hominum Gentes agnoscant superiorem,  
nulla ibi negligentia coërcitio locum habebit, sed solus  
animus derelinquendi rei dominium ex certis indiciis  
collectus præscriptioni Juris Gentium præbebit funda-  
mentum. Econtrario in societate Civili non tam dereli-  
ctionem tacitam, quam negligentia coërcitionem respi-  
ciunt summi Juris conditores. Socordes enim & negli-  
gentes cives odio eis sunt, ideoque vigilantibus solum  
succurrunt. *arg. l. 24. ff. Quæ in fraud. credit. Ritterfb. ad*  
*LL. XII. Tabb. Class. 3. Part. 2. cap. 13.* Quamvis ergo non  
nunquam ob difficultatem investigandi possessorem a  
persecutione rerum suarum necesse quidam habeant de-  
sistere, hi tamen casus, (partim quod in agis ad res mobi-  
les, quam immobiles respiciant, partim, quod in rebus  
mobilibus rarissime locum habeat præscriptio, sed ple-  
rumque res vitio labore, §. 2. *7. de Usuc.*) rari sunt, de qui-  
bus Llatores non adeo solliciti, imo paucorum damp-  
num, quod Leges generaliter scriptæ inferre forte viden-  
tur, utilitate communi rependitur. *Pufend. d. Jur. Nat. &*  
*Gent.*

*Gent. Lib. 4. cap. 12. §. 5.* Potius inde inferri potest tacitum consensum ius suum derelinquendi, causam hujus præscriptionis non esse, alias enim contra ejusmodi dominum, qui ob difficultatem rei suæ possessorem inveniendi, ab agendo arcet, præscriptio non curreret. Adeoque *I. 28. ff. d. Verb. sign.* non de vero aut tacito consensu rem suam derelinquendi, intelligenda, sed ex Legum interpretatione præscriptionem passus quodammodo consensum accommodare videtur, quia legibus præscriptionem inducentibus parere cogitur, iisque repugnare nefas est. *Caldas ad L. 3. C. de restit. in integr. min. verb. Infra legit. temp. n. 18.*

**§. VI.** Circa differentiam utriusque præscriptionis notandum quoque præscriptionem Gentium præter possessionem & tacitam derelictionem alia requisita non habere: contra in præscriptione Juris Civilis præter varietatem temporis a Legibus pro rerum diversitate præscriptam magna est requisitorum variatio, ita ut nonnunquam plura, nonnunquam pauciora concurrere debeant. Modo enim quinq; illa vulgo nota usucaptionis requita postulant. *Hahn. ad W. tit. d. Usuc. num. ii* Modo unum vel alterum non adeo rigide exigunt in præscriptione longissimi vel immemorialis temporis, ita ut vel titulus, vel rei habilitas vel etiam Jure Civili bona fides deesse queat. *Struv. Exerc. 43. tb. 6.* Quod Jure Canonico securus est, quo in quavis præscriptione rei alienæ conscientia abesse debet. *Cap. fin. X. d. Præscript. Fab. in Cod. Lib. 1. tit. 13. def. 2. n. 4.* Apparet vero ex dictis, male nonnunquam hæc Civilis Juris requisita applicari ad præscriptionem Juris Gentium, quando summorum Imperantium controversias circa præscriptionis materiam secundum regulas Juris Civilis metiri conantur. Eaque propter inanis

inanis est scrupulositas, quando propter bonæ fidei defec-  
tum aut tituli absentiæ Papæ dominium in urbem Ro-  
mam labefactare malunt, quod præter alios fecerunt.  
*Job. Volk. Bechmann ad Aur. Bull. Exerc. 4. Membr. 3. & Osiand.*  
*ad Grot. Lib. 2. cap. 4. tb. 1.*

§. VII. Pergo jam ad alterum Tituli vocabulum *Rega-  
lia* sc. Derivant hœc Rege, quia eo tempore, quo hæc vox  
in usu esse cœpit, nomen regium admodum frequens erat,  
ac in Regibus omnium optime hæc jura conspici poterant.  
*Finkelb. in Controv. Feudal. Disp. 4. tb. 1. Ziegler tr. d. Jurib.  
Maj. Lib. 1. cap. 3. §. 9. Schwed. de Jur. Publ. Part. Spec. Sect. 1.  
cap. 4. §. 2.* Vocantur nonnunquam Jura Imperii vel Sacra  
Regni. *Schwed. cit. loc.* Quin etiam interdum nomine der  
Kaiserlichen Hoheiten und Reservaten veniunt. *Vid. Rec-  
cess. Imp. d. ann. 1576. §. da durch dann.* Varias hujus vocis  
acceptiones pro varietate suarum opinionum Dd. afferunt.  
Ita enim (1) Regalia dicuntur jura a Cæsare dependentia,  
quæ Status Imperii tenent in alienis territoriis, quo sensu  
opponuntur Juribus Majestatis & superioritati territoria-  
li, quarum hæc Statibus in propriis territoriis, illa vero Im-  
peratori competunt. *Dn. Lyncker. in Analect. ad Struv.  
Synt. Jur. Feud. cap. 6. aph. 13. n. 1.* (2) Dicuntur Regalia  
Jura soli Imperatori competentia *juxta Finkelb. cit. loc.  
tb. 2.* Denotat (3) hæc vox jura Majestatis, immediatis,  
vel etiam mediatis sigillatim sine territorio ab Imperato-  
re concessa. Germ. *Herrlichkeiten.* *Dn. Coccejus in Comp.  
Jur. Publ. cap. 21. §. 7.* Verum hi significatus sunt nimis  
angusti. Alii ergo (4) latiori in sensu utuntur hoc vo-  
cabulo, ut per illud omnes ac singulas supremæ potesta-  
tis notas seu partes intelligent. *Gudelin. d. Jur. Noviss.  
Lib. 5. cap. 2. & 3. Ziegler. Lib. 1. cap. 3. §. 9. Schweder. cit. loc.*  
Quæ significatio magis ad rem præsentem facere videtur.

*Præscript. Regal.)*

B

§. VIII.

§. VIII. His ita præmissis definiri possunt Regalia, quod  
sint summæ potestatis partes actiones Civium dirigendi,  
de rebus Reipublicæ disponendi & cum exteris de negotiis  
belli & pacis tractandi, ad obtainendos civitatum fines. Sum-  
mæ potestatis partes jure merito vocantur, quia Civile Im-  
perium in tot potestatis partes resolvi potest, quot alias dan-  
tur jura, quæ Regalium nomine veniunt. Cœterum ge-  
neralis divisio horum jurium non difficulter exallata de-  
finitione colligi poterit, nimirum, quod conspicua sint Re-  
galia (1) in Imperio in Cives seu Subditos, (2) in Dominio re-  
rum, quæ in civitate sunt, (3) in Regimine Reipublicæ tam  
quoad ipsam civitatem, quam quoad Societatem Gentium.  
Imperium in Cives a summa potestate est inseparabile, sta-  
tim enim ac per subjectionem civium Majestas in Princi-  
pem submissionem acceptantem transfertur, censetur eti-  
am Imperantis imperio subiecta libertas, ita ut eidem de-  
negari non possit facultas civibus aliquid injungendi. Pu-  
fend. L. 7. cap. 3. §. 1. Idem quoque locum habet in rebus in  
civitate repertis, aperte enim ex subjectione fluit, cives,  
qui se Imperio Principis subiectos profitentur, non posse  
eidem resistere, bona eorum petat si propter utilitatem  
Reipublicæ. Porro nec aliud dicendum erit de potesta-  
te superioris dirigendi ipsum civile corpus: Nam propo-  
situm alteri sese subjiciendi esset inane, si cives sibi retine-  
re vellent potestatem disponendi tam circa negotia ipsius  
civitatis, quam circa ea, quæ cum exteris expedienda  
occurrunt, nec unquam civitatis finem valerent consequi:  
Si ergo finem volunt, necesse est, velint etiam media.

§. IX. Hæc jura constituunt civilem Majestatem &  
efficiunt, ut beatitudo civilis, pax & tranquillitas communis  
in civitate obtineatur, modo eadem summæ potestati  
sint annexa, nec Princeps ab exercitio quorundam jurium  
exclu-

excludatur, alias enim non credibile est plurium arbitrio commissam fortunam alicujus civitatis diu persistere posse. Nam salus reipublicæ Imperantibus suprema lex esse debet, summa hæc lex toties violenda, quoties Imperans ob potestatis defectum actus, qui celerem expeditiōnem requirunt, intermittere cogitur. Pertinent huc variæ ille Regalium divisiones inter Subiectos & Imperantes in Rebuspublicis, quam mixtam formam habere dicunt, ubi quædam Regalia sunt radicaliter penes Imperantem, quædam penes subditos. Sane hoc casu regnum non consistere nec Regalis dignitatis vis elucescere potest, *Finkelth.* *Disp. 4. tb. 1. lit. B.* & irregularē, maleque cohārentem Rēpublicam ex ejusmodi Regalium separatione oriri necesse est. *Pufend. de Offic. Hom. & Civ. Lib. 2. cap. 7. §. ult.* Ea propter nullum hic reperiri poterit remedium evadendi dissensiones, inter eos, qui divisa tenent Regalia, ortas. *Dn. Præses in Schol. ad Monzamb. cap. 6. §. 1. lit. D. & 4. lit. R.* Sed deficiente voluntatis unione bellis civilibus dabitur occasio, qualia cum fine civitatum, communi tranquillitate, consistere nequeunt.

§. X. Occurrit denique in Titulo vocabulum *Subditorum*, de quo breviter notandum, quod nonnunquam in Jure Civili inde denominantur, si domicilium in aliqua civitate habeant constitutum *I. 190. ff. de Verb. Sign. Gail. tr. d. Pign. Obs. 15. num. 7.* Verum hic accipitur in genere, ut omnes illos qui in conditione parendi possunt, complectatur. Non tantum ergo illi, qui ab initio constitutæ Civitatis sese Imperio summæ potestatis submiserunt, horumque liberi, sed etiam qui postea accesserunt, denominatione hac gaudent. Quin & omnes incolæ appellatione subditorum veniunt & Legibus atque consuetudinibus illius loci, ubi incolæ sunt, tenentur. *Gail. Lib. 2. Obs. 35. num. 3.*

**E**t seq. Eo ipso enim, dum reperiuntur, ubi alii cives se suasque fortunas in tuto collocarunt, Imperium quoque civitatis agnoscere tenentur, saltem quousque ibi degunt. Nam tranquillitas communis facile periclitari posset, si cuique ibi degere fas esset, qui civitatis imperium non agnosceret. *Pufend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. 7. cap. 2. §. 20.* Hæc denominatio subditorum sicuti Subjectionem importat, ita simul sese refert ad personam, in quam Imperium est collatum, subiectio enim & imperium simul sunt.

**§. XI.** Si ergo in unum cœtum plures coierunt & singuli voluntatem suam vel unius, vel totius concilii regimi- ni subjecerunt, necesse est, ut hoc modo conferantur omnia illa jura, quæ ad salutem civitatum facere videntur, & ille vel illi, in quos imperium est translatum, nullius impe- rio sint obnoxii. Hinc etiam Imperantes vel Principes vocantur, quo nomine non solum intelliguntur illi, quo- rum Imperium nemini est obstrictum, quales sunt Impe- ratores, Reges, Principes extra Imperium Germanicum, sed insuper etiam, qui specialibus pactis atque foederibus Imperio nostro sunt obligati, quorum Majestas quoad exercitium potestatis in territoriis eorum alias satis con- spicua, sub nomine superioritatis territorialis in memori- am Reipublicæ antiquitus unitæ, abscondi solet. *vid. Dn. Præses in Schol. ad Monzamb. cap. 5. §. 28. lit. E.* Sunt sc. hi qui jure sessionis & suffragii in conventibus Imperialibus gaudent, Status alias dicti. *Schwed. Part. Spec. Sect. 2. cap. 1. §. 3.*

**§. XII.** Adducta haec tenus ad tituli nostri explicatio- nem sufficere queunt. Luculenter certe exinde constat, in- stitutum nostrum non esse, specialiter hic de modis acqui- rendi Regalia agere, quod sine dubio fiet tot modis, quot acquiritur Imperium. Præcipue vero Imperii nostri Status eadem acquisiverunt pactis, transactionibus, occupationi- bus

bus bellicis, item concessione Imperatoris vel expressa vel tacita. *Fritsch. tr. d. Jur. Præfid. cap. 4.* Verum nec tacita hæc concessio, quæ per præscriptionem fieri dicitur, ad Disputationem nostram pertinet. Etenim constat, inter eos qui in societate Gentium vivunt nec ullo civili vinculo juncti sunt, præscriptionem locum habere, ut controversiæ inter summa in civitate capita exortæ, extinguantur. *Grot. de Jur. Bell. & Pac. Lib. 3. cap. 4. §. 1.* Nihil autem impedit, quominus etiam idem obtinere possit inter Imperii Principes (qui saltem subditi sunt abusive sic dicti) & Imperatorem, præcipue cum hac de re certis sibi prospexerint patet. *vid. Recess. Imp. d. ann. 1548. §.* Wann auch ein ausgezogener. Præterea titulus quoque noster non comprehendit casus de præscriptione alterius subditi contra exterrum Principem aut exteri Principis contra alterius subditos, nec inter duorum Principum aut Populorum subditos, sed his casibus æque ac in Principum invicem præscriptionibus decisio ex Jure Gentium est petenda.

§. XIII. Quoniam ergo hi, qui per antea dicta in societate Gentium reperiuntur & solis præceptis quæ socialitatem hominum custodiendam svadent, obligantur, ad institutum nostrum non spectant: Referendi sine dubio erunt illi, qui in civili societate ciuium seu subditorum nomen merentur. Cum vero hi duplum habeant respectum ex obligatione illa dupli, qua subditi tenentur tam Principi, quam concivibus, adeo ut his amicitiam exhibere, illi vero obsequium præstare teneantur: Hinc videndum erit,anne in dupli hoc respectu præscriptiones, quæ reperiuntur, huic referendæ sint, an vero alteruter respectus hic tantum modo quadret. Occurrit autem primo loco præscriptio subditorum inter se, hanc frequenter de variis rerum generibus in Republ. obvenire diffiteri nemo poterit, qui præter

**sollicitudinem** LLatorum circa determinandas casuum differentias quotidianam praxin simul in testimonium vocat.

**§. XIV.** Evenit etiam nonnunquam, ut Cives contra concives Regalia ex speciali Principis concessione possidentes, intervenientibus a Jure Civili determinatis requisitis, præscriptione acquirant, extin<sup>ctio</sup> jure prioris possessoris. Videndum itaque erit, anne Titulus hujus Dissertationis hunc forte casum comprehendat? Et quidem recte distinguunt Dd. inter præscriptionem Regalium principaliiter currentem adversus Principem & eam quæ currit adversus inferiorem: Ille enim casus spectat ad relationem, quæ inter Principem & subditos intercedit, de qua §. seq. Quoad hunc vero casum simul notant, præscribi Regalia longissimo tempore, & etiam longo, si titulus & bona fides accedit per l. fin. C. d. Præscript. long. temp. X. vel XX. ann. Rosenth. in Synt. Jur. Feud. cap. 5. concl. 41. Tunc enim Regalia non amplius considerantur ut Jura Majestatis, sed ut alia subditorum jura. Schüz. in Coll. Jur. Feud. cap. 6. Quapropter cum videamus Jura Civilia talem præscriptionem non rejicere, evidens est, hanc præscriptionem Regalium contra privatos tanquam Legibus convenientem, talem non esse, quæ subditos ab acquisitione excludat, qualis tamen est illa, de qua in titulo.

**§. XV.** Restat adhuc respectus ille subditorum erga superiorem: Licet ergo non diffitendum sit, in societatibus mixtis, quales sunt civitates, diversa jura competere subditis adversus Principes; attamen talia non sunt, ut eadem subditi remediis coactivis persequi possint, sed imperfecta faltem & ad officia humanitatis referenda, quemadmodum ex Cap. seq. constabit. Interim an per præscriptionem subditi tale jus sibi acquirere valeant in bonis Principis, moveri solet quæstio. Alias Dd. conservaverunt bona Principum distin-

distinguere in res privatas & publicas, has vero iterum  
in fiscales, quæ ad Principem spectant tam quoad usumfru-  
etum, quam quoad proprietatem, & bona domania, quæ  
solum quoad usumfruendum Principis esse dicuntur *Brunn.*  
*ad Inst. tit. d. Usuc. Num. 9.* In his bonis quid juris Principi  
competat, & quid per præscriptionem subditi consequiva-  
leant, demonstrare haud injucundus fuisset labor: At, ne  
propter materiarum varietatem *Dissertatio nimium excre-*  
*siceret, tantummodo de Regalium præscriptione respectu sub-*  
*ditorum, tractationem suscepimus, certo persuasi, exinde*  
*facili negotio de cœteris quoque rebus & juribus Princi-*  
*pi competentibus judicium ferri posse.*

## CAPUT II.

De

### Jure Principis circa Regalia & præcipue de Re- galibus circa rerum Dominia.

## SUMMARIA.

- |   |  |
|---|--|
| 1. <i>Principis potestati jus na-<br/>turæ limites ponit.</i>                                 | 8. <i>Eminens dominium ad tria<br/>refertur capita.</i>            |
| 2. <i>Jus naturæ solutæ Potesta-<br/>ti non obest.</i>  | 9. <i>Quale jus ex vulgari domi-<br/>nio competit subditis.</i>    |
| 3. <i>Regalia quædam ad Regi-<br/>men civitatis quoad societa-<br/>tem Gentium pertinent.</i> | 10. <i>Invicem in usu rerum sese<br/>turbare prohibitum est.</i>   |
| 4. <i>Ad ipsam civitatem quæ-<br/>dam referuntur.</i>   | 11. <i>Dantur inde actiones.</i>                                   |
| 5. <i>Alia concernunt Imperium<br/>in subditos.</i>   | 12. <i>Non solent Principes in usu<br/>rerum subditos turbare.</i> |
| 6. <i>Quædam circa dominium re-<br/>rum publicarum versantur.</i>                             | 13. <i>Legibus Principes vivunt.</i>                               |
| 7. <i>Quousque subditorum res<br/>sint in Principis dominio.</i>                              | 14. <i>Actus a Principe tanquam<br/>privato fieri nequeunt.</i>    |
|   | 15. <i>Superior solitus est civilibus<br/>Legibus.</i>             |

§. I

§. I.

**E**xpositis jam generalibus digredimur nunc ad ipsa jura summis Imperantibus competentia, vi potestatis a Civibus concessæ. Quemadmodum autem diversa hæc jura nihil aliud sunt, quam summæ Majestatis particulæ, ita quoque iisdem limitibus, quibus Majestas, erunt includendæ. Notum vero est, quamvis Principes Civilibus Legibus sint superiores, nec limitatam his Legibus potestatem agnoscant; nihilominus tamen eosdem teneri eo jure, quod omnium hominum cordibus inscriptum est, quodve ad socialitatem inter homines colendam omnes obligat. His enim Legibus alligatum sese Princeps profiteri tenetur, his Principatum suum submittere debet, cum ab hujus juris autoritate principis autoritas dependeat *I.3. C. d. LL.* Cum igitur inter præcepta Juris naturæ præter alia contineatur præceptum de fide servanda, nemo negabit, Principem quoque ad ea, quæ pactis promisit, sancte servanda, obligari & in conscientia adstringi, præprimis si juramentum pacto accesserit, uti saepe solet ab Imperantibus tale juramentum exigi, cum de novo regnorum possessiones capiunt. *Valer. in Differ. utr. for. Judic. & Consc Tit. Lex diff. 10. num. 1.* Imo quoque sine juramento firmissima eorum verbis fides habetur, & bonam fidem in negotiis ipsorum maxime exuberare dicitur. *Stuck. Part. 1. Confl. 15. num. 191. Rauchb. Part. poster. quæst. 11. num. 61.*

§. II. An vero exinde quod jus naturæ Principes stringat, denegari iisdem queat plenitudo summæ potestatis, non video: Quasi vero duæ propositiones simul consistere nequeant; Legibus naturæ solutum non esse & gaudere summa potestate. Nam summa & absoluta potestas Principum indigitat jus superiori competens in respectu ad subditos, non vero in respectu ad Deum, ita enim omnes homines summo Juris naturalis Conditori sunt subjecti,

ut

ut nemini jus quoddam competere possit, sed in meris consistat obligationibus, quicquid hoc respectu in homine reperitur. At licet summi Imperantes sint Legibus naturae subjecti, nec iis omnia in omnes liceant, habebunt tamen inter homines neminem, qui dicere possit, cur ita facis, nec facta eorum a quoquam judicari poterunt. Hinc dicitur eos non civilem, sed naturalem tantum contrahere obligationem, quia subditi id, quod in obligatione est, necessitate coactiva obtinere nequeunt. *Val. in Differ. utr. for. tit. Lex. diff. 10. n. 1.* Interim certum est, quod si ipsi Imperantes illas Leges, quibus tenentur, contemnant, tunc omnem exulare justitiam, regnaque nihil aliud esse, quam magna latrocinia.

§. III. Sicuti igitur summa in civitate potestas, quando pactis & promissis non limitata, absoluta est, ita quoque in juribus Majestatis seu Regalibus eodem modo res sese habet. Maxime perspicuum hoc erit, si juxta allatam supra divisionem præcipue summæ potestatis particulæ recensentur. Primo igitur occurruunt illa jura quæ ad Regimen Reipublicæ spectant, tum quoad negotia, quæ tractanda suscipiuntur cum exteris gentibus, tum quoque quoad negotia, quæ internam Reipublicæ salutem promovent. Inter jura quoad externum regimen primum locum obtinet jus belli, quod Principi adeo competit ut cuivis privato in civitate non liceat illatam ulcisci injuriam, sed dicatur Majestatis crimen esse, si quis injussu Principis bellum gesserit

*l. 3. ff. ad L. Jul. de Adult. Gudelin. d. Jur. Noviss. Lib. 5. cap. 3.*

*Finkelth. Controv. Feud. Disp. 4. §. 9.* Exercetur hoc jus, quando summi Imperantes se suaque contra alios defendunt, vel eos ad id, quod ex perfecta obligatione debetur præstandum adigunt, vel etiam damnorum per injuriam illatorum reparationem intendunt. *Pufend. Lib. 8. Cap. 6.*

*§. 3.* Per consequentiam referenda etiam huc erunt Juri belli  
(*Præscript. Regal.*)

C

belli

ipsa  
esta-  
n di-  
tatis  
tas,  
ipes  
legi-  
dem  
scri-  
dam  
ceps  
ebet,  
deat  
præ-  
ne-  
ncte  
nis si  
anti-  
pos-  
onsc  
mis-  
ego-  
Con  
trin-  
ratis,  
tere  
dere  
Prin-  
a ad  
nnes  
ecti,  
ut



belli annexa jura sequelæ, deleſuum, iuſtrationum, præſidii &c. Statum Belli ſequitur jus Pacis, eorumque eſt, quo-rum Bellum ſc. eorum, qui ſumma in Republica gaudent potestate. *Grot. Lib. 3. Cap. 20. ſ. 2.* Jus fœderum etiam, per quod una Republica propter utilitatem alteri ſeſe jungit, pars ſummæ potestatis eſt. *Grot. Lib. 1. Cap. 3. ſ. 6.* Item jus Legatos mittendi pendet ex Majectate. *Ziegler de Jurib. Maject. Lib. 1. Cap. 32. ſ. 2. Oſiand. ad Grot. Lib. 2. Cap. 18. ſ. 2.* Non tantum enim Legati referunt illum, qui Majectate gaudeſt, ſed inſtru&ti inſuper ſunt potestate tractandi nego-tia, quorum cura ſoli Imperanti incumbit.

§. IV. Jura, quæ circa regimen civitatis internum Imperantibus civilibus confeſſa ſunt, in ſacris præcipue & fa-cerdotibus conſiſtunt. Quamvis ergo quoad internos actus ſubditi non ſint ſubjeſti civili cuidam coercitioni, incumbit tamen ſummis Imperantibus ita proſpicere civitati, ne tales reperiantur in ea, qui Numen ejusque p rovidentiam palam negant, Deum blaſphemant, aut Dæmones colunt, cumque iis paſta ineunt, quin & qui obtentu Religionis pe-ricolofas excitant factio[n]es. *Pufend. d. Habit. Relig. ſ. 7.* Huc etiam refertur cura Religionis, Ecclesiarum, Academia-rum, ſcholarum, ordinatio circa cultum diuinum, jus Con-cilia & Synodos convocandi, jus reformandi, jus circa Ec-clesiæ Miniftriſtros conſtituendos. *Struv. Synt. Jur. Feud. Cap. 6. ſ. 15.* Cum enim hæc omnia ad bonum in Ecclesia ordi-nem faciant, & vero a nemine commodiſt procurari que-ant, quam a ſummis Imperantibus, maniſteſtum eſt, Prin-cipes iſtarum curam ſibi recte vindicare. *Pufend. cir. tr. ſ. 45.* Non tantum vero ſacra, ſed etiam ſecularia ad rega-lia civitatis Regimen conceruentia ſpectant. Referenda huic eſſet Magistratus conſtituendi poteftas, ſed quoniam Magistratibus confeſſa Jurisdictio ſubordinatum importat Impe-

Imperium, hinc potius annumeratur iis juribus, quibus Imperium in cives Majestati asseritur. Referri tamen huc poterit jus disponendi circa commercia, quia in his Principis cura atque sollicitudine admodum opus est, ut etiam in his communis tranquillitas servetur integra. *Schmed.*  
*Part. Spec. Sect. 1. Cap. 25.* Multa enim in modo negotiandi in mercium speciebus, item in aestimatione rerum occur- runt, quae correctione & Lege publica indigent. *Ziegler.*  
*d. Jurib. Maj. Lib. 1. Cap. 41. §. 8.* Non minus etiam huc re- censetur jus monetæ, quo difficultatibus permutationum subvenitur æqualitate quantitatis, cujus publica & perpe- tua est aestimatio. *l. 1. ff. d. Contrab. emt.* Nimirum cum præ- cipue in commerciis magna sit nummi commoditas, & ve- ro Republicæ intersit, ut uniformis reperiatur moneta, hoc tamen vix sperandum, si cuique liberum esset, mone- tam pro lubitu cudere, non immerito hæc potestas Maje- stati fuit adscripta. *Ziegler. cit. tr. Lib. 1. Cap. 49. §. 7.* Cura quoque circa ponderum & mensurarum justitiam, consti- tuendamque in iis uniformitatem ad superioritatem per- tinet. *Schmed. Part. Spec. Sect. 1. Cap. 25. §. 5. & 6.* Possent & alia jura huc referri, si institutum nostrum admitteret, ve- rum properandum erit ad alterum divisionis membrum.

§. V. Imperium itaque in subditos vi pætorum cum Principe initorum competere, demonstratum jam supra *Cap. 1. §. 8.* Supereft saltem, quibus in negotiis hoc se ex- erat. Occurrit autem imprimis jus vitæ & necis, quod Im- peranti eo ipso conceditur, quo ei cives se subjiciunt. Cum enim societati Civili non adimi possit facultas contra vim injustam ab aliis intentatam se defendendi, ideo sæpenu- mero accidit, ut multorum vita servari nequeat, nisi pro- babiliter vitæ periculo iussu Principis quidam se submittant. *Pufend. Lib. 2. Cap. 4. §. 18.* & hinc gravioribus delictis an-

numeratur in l. 4. §. 10. ff. d. Re milit. munus militiae detinere. Wesenb. b. t. num. 2. Idem quoque patet si consideramus potestatem, quae competit Imperio Civili in corpus & vitam subditorum ex causa delicti & in jure mitigandi & alterandi pœnam a summa Potestate sancitam & constitutam l. 1. & tot. tit. C. de Sent. pass. & restit. Faber in C. Lib. 9. tit. 24. def. 1. n. 7 Cum vero ad Legislatoriam potestatem hæc pœnarum constitutio & earundem mitigatio pertinet, Zieg. Lib. 1. Cap. 8. §. 12. proximum est, ut etiam de hac Leges ferendi potestate quædam addantur. Adeoque sicuti ex subjectione civium, alteri, cui se subjiciunt, Imperium acquiritur, ita quoque immediate exinde fluit potestas libertatem subjacentis circumscribendi & de actionibus civium disponendi, proprio enim facto declararunt, placitum Principis sibi esse sequendum. Pufend. Lib. 1. Cap. 4. §. 12. Sed quoniam felicitas Reipublicæ vix obtineri potest, nisi a summa potestate quidam a partes vocentur, quorum ministerio curas publicas faciliores reddere liceat: Zieg. Lib. 1. cap. 29. §. 1. ideoque quoque potestas constituendi Magistratus a Majestate dependet, nec Magistratus est, nisi a Principe fuerit constitutus, imo Majestatis crimen incurrit, qui privatus pro potestate Magistratuvè quid gesserit. l. 3. ff. ad L. Jul. Maj. Zieg. cit. loc. §. 3. Insuper ratione Imperii competit jus Comitorum, ultimæ provocationis, jus conferendi dignitates &c.

§. VI. Jam ad tertium divisionis membrum nos conferamus, Dominium sc. rerum, quæ in Republica sunt. Harum aliæ sunt publicæ, aliæ privatorum. Ille non tantum continent ipsam illam terrarum partem quam præter occupationes a privatis factas summus Imperans ratione Societatis civilis tenet, sed etiam quicquid specialiter ad conservandam Principis Personam ejusque Majestatem est desti-

destinatum. Dominium Principi competens in ipsum Regnum cum pactis subditorum sit circumscriptum & munitum eo quidem sese extendit, ut libera administratio, quantum ad conservationem utilitatis communis requiritur, Majestati non possit denegari; Attamen non omni casu Regnorum alienatio Principi est permittenda, si eadem in aliud transferre moliantur. *Grot. d. Jur. Bell. & Pac.*  
*Lib. 1. cap. 4. §. 10. & Lib. 3. cap. 20. n. 5.* Sicut enim invito Regi non potest regnum adimi, ita nec invitatis subditis alius Princeps obtrudi potest. *Pufend. lib. 8. cap. 5. §. 9.* Interim facultatem alienandi tale regnum, quod proprio iure acquisitum est, Imperanti adscribit *Grot. Lib. 1. cap. 3. §. 12. & Lib. 2. c. 6. §. 3.* Occupationem Regnorum iure accessionis sequitur omne illud, quod ibidem reperitur, exceptis rebus, quae privatorum usibus patent, *de quibus in seqq.* Sunt vero jura quae summus Imperans sibi retinet varii generis vid. *Seckendorff im Fürsten-Staat, Part. 3. cap. 2. & 3.* Impri- mis vero spectant eores, quas Juris Romani Dd. in liber- tate naturali relietas dicunt, quarum usum aliquando sub- ditis suis concederunt, eas habendo pro derelictis. Has re- vocarunt ad illud jus, quod lex naturae eistribuit, easque pristinæ suæ formæ reddendo, nullius jus deterius red- diderunt. Conspicuum hoc quam maxime est in jure ve- nandi, piscandi, aucupii, percipiendi commoda ex mari & fluminibus, jure metallifodinarum, salinarum extra priva- torum agros, jure circa thesauros in locis publicis repertos.

§. VII. Jus superiori competens circa privatorum bona fluit tum ex natura summi Imperii, tum etiam ex singulari modo acquirendi. Quandoque enim præter illud jus, quod ex summa potestate fluit, uti potest rebus, quemadmodum quivis pater familias extra civilem socie- tam iis utitur. Quandoque vero eosque potestas

competit, quo usque eam concessam esse ex p̄actis civium cum superiore patescit. *vid. Pufend. Lib. 8. cap. 5. §. 1. & seqq.* Hic tamen non minus, ac in cæteris Majestatis partibus inculcandum præceptum de custodienda æqualitate. Etiam si enim non licitum sit subditis superiori præfræcte resistere aut arma contra Principem movere; *Ziegl. Lib. 1. cap. 4. §. 14.* Non licitum tamen est Principi, subditos rerum dominio privare, nisi privatam hanc iniuriam publica utilitas extorqueat & emendet. *Gail. 2. Obs. 56. Fachin. 8. Contr. l. v. 63. Ant. Faber. in C. Lib. 1. tit. 11. def. 1.* & ita utendum summa potestate, ne iniuriam faciendo justitia violetur. *Hartm. Pist. Lib. 2. quæst. 40. num. 41. & 42.* Quibus bene observatis, non poterit potestas Majestati circa bona privatorum, dominium sc. eminens denegari. *Schrad. tr. d. Feud. Part. 4. cap. 1. num. 30.* Per quod dominium non tantum facultas rebus utendi conceditur, sed & alios turbantes repellendi, ad obtainendos civitatis fines. Hinc et si concedatur, duos non posse in solidum Dominos esse, exinde tamen Principem dominio rerum privatis competentium nemo privare poterit: hic enim non est unum idemque dominium, sed diversis plane modis competens.

§. VIII. Eminens hoc dominium ad tria commode revocari potest capita, sc. ad jus Leges de bonis subditorum ferendi, deinde ad jus indicendi tributa, denique ad jus plenario hoc dominium eminens casu necessitatis exercendi. *Pufend. Lib. 8. cap. 5. §. 3.* Ad primum caput referendæ erunt Leges, quæ de juribus naturaliter alias ad rerum possessores spectantibus disponunt, quæ tamen iura Principes sibi reservant: Ita enim inter Regalia referunt, & sibi adscribunt metallifodinas, quæ in privatorum fundis sunt partes fundorum & iis jure accessionis cohærent. *Ziegl. Lib. 2. cap. 19. §. 15.* Lapidicinas quo-

quoque & Thesauros in privatorum agris repertos sibi vindicant. Item vi dominii eminentis possessoribus Leges Civiles adscribunt, ad coërcendam Dominorum negligentiam, id, quod ad certum tempus ab alio fuit possesum, & puniuntur quoad bona delinquentes, modus statuitur donationibus, Leges feruntur circa ordinationem testamentorum, Leges sumtuariæ &c. Tributorum indicatio spectat ad secundum caput juris eminentis, quod summae potestati competit: Quando enim cives intendunt societatis incolumentem, conveniens est, ut etiam pro defensione salutis & bonorum singuli de suo quid solvant eo casu, ubi bona Principi alias reservata Imperanti non sufficere videntur. *Munoz. de Escob. de Ratioc. administr. cap. 25. n. 23.* Eodem quoque modo jus vestigalia exigendi aliaque onera imponendi ad Regalia spectat. *2. Feud. 56. Schweder. Part. Spec. Sect. 1. cap. 20. §. 3.* Denique etiam casu necessitatis non impeditur is qui summa in Republica potestate gaudet, tollere vulgare subditorum Dominium & liberum ei est ejusmodi rebus publicæ necessitati succurrere. Uti enim necessitas non habet Legem, ita quoque, si rei alicujus usum ad conservationem salutis communis necessitas urgeat, non peccabit Princeps contra officia humanitatis, si hoc casu ea re utatur. Quoniam tamen nemo civium immunis est ab iis oneribus, quæ ad conservandum Reipublicæ statum ex necessitate impenduntur, hinc æquum erit, ut id, quod Domini ratam exceedit, a cœteris restituatur, & ita fiat commune detrimen-  
tum eorum, qui per amissionem rei alterius id consecuti sunt, ut res suas salvias habeant. *Grot. L. 2. cap. 14. §. 7.*

§. IX. Vulgare dominium, quod in Republica competit Civibus, duplici respectu in Civili societate considerari potest, quia in civitate reperiuntur Imperantes & parentes,

rentes, quorum hi ad obsequium Imperantibus præstan-  
dum, illi vero ad curam communis securitatis & salutis sese  
adstringunt. Cives ergo dum eum in finem civitates inie-  
runt, ut non tantum sibi bene sit, sed etiam ab aliorum in-  
juria sibi cavere possint si forte turbentur in possessione,  
& actu turbari, eo commodius alterum ad reddendum ad-  
stringere queant. Hinc necessario sequitur, obligatos esse  
concives, adeo ut necesse habeant intermittere omne il-  
lud, quod alterius jus quovis modo violare aut in posses-  
sione quenquam turbare possit. Quia enim communis tran-  
quillitas aliter obtineri nequit, quam si quisque secure vive-  
re & bonis ad vitam sustentandam necessariis frui possit,  
ideo subjiciendo sese unius voluntati, singuli se obligarunt,  
quod communi utilitati reluctari nolint, & si contra fece-  
rint, pœnis se submittere non detrectent. Respectu Prin-  
cipis quoque jus quoddam subditis denegari nequit; Etiam  
sienim pœnis civilibus coërceri nequeant Principes, hos ta-  
men metus divini Numinis & conscientiæ morsus contine-  
re queunt, ne subditos in possessione turbent; Alias enim  
injuriam inferendo violarent paëtum cum civibus initum,  
quo se ad curam securitatis publicæ adstrinxerunt.

§. X. Sane inter concives saluberrimæ extant Le-  
ges, quæ alteri per alterum iniquam conditionem infer-  
ri non patiuntur, sed factum cuique suum nocere debe-  
re statuunt. I. 155. ff. d. Reg. Jur. Quemadmodum igitur  
quivis Dominus de rebus suis liberam disponendi facul-  
tatem habet, quatenus usus per pacta aut Leges publicas  
principue propter interesse Reipublicæ, non est restrictus,  
cum quivis rerum suarum sit moderator & arbiter; Ita  
quoque sequitur, usum rerum suarum liberum esse non  
posse, nisi illi, qui sine facto Domini res alienas derinent,  
quocunque etiam modo earum rerum possessionem na-

Eti

Et fuerint, ad restitutionem earundem teneantur. Adeo que a furtis, rapinis, aliisque damnis concives abstineant necessare est, non tantum enim ad restitutionem rerum tenentur, sed insuper etiam pœnis a summo. Latore in civitate determinatis, modo in bonis, modo in corpore afficiuntur.

§. XI. Hunc in finem civiles leges dominis prospexit e jusmodi remediis, quorum ope suum quisque consequi potest. Ast longi hic non erimus in enumeratione singulatum actionum, quæ toties competere solent, quoties alicui jus suum diminuitur: Tantummodo sufficiat exempli loco quadam de rei vindicatione & hereditatis petitione monuisse. Nimirum asseritur per rei vindicationem dominium rerum singularium. *Gotb. ad Rubr. tit. ff. d. Rei. Vindic. Hahn. eod. tit. num. 1.* Propter res universales vero competit hereditatis petitio, per quam quivis contra eum, qui pro herede aut possessore possidet, hereditatem suam esse intendit. *l. 9. ff. de Heredit. petit.* Sed non tantummodo hæ actiones ad restitutionem rerum tendunt, verum omnium insuper lucorum & fructuum fieri debet restitutio, prout hoc leges civiles, quæ amant, ut eo facilius lites componantur, secundum differentias tum possessorum, tum fructuum, determinarunt.

§. XII. De domino eminente, quod summo Imperanti competit, supra jam jam actum fuit. Sicuti vero ibidem monitum, Principem subditis suis inferre injuriam, quando bonis & fortunis civium utitur citra casum, quo communis consulitur saluti; ita quoque jus quoddam ratione bonorum relictum est subditis respectu Principis, quod ad vulgare dominium est referendum. Nam cum salus publica suprema lex esse debeat Imperanti, & quivis Imperans patto quoque se adstringat, quod servare velit omne illud, quod communem tranquillitatem promovere posset;

(*Præscript. Regal.*)

D

evi-

evidens est, tantum ei potestatis competere, quantum ex natura summi imperii fluit. Quivis ergo Princeps hoc perpetuo intendat, ut civitatem beatam reddat, beata vero esse non poterit, nisi cives ad proprium usum destinatas res quiete possideant: Alias enim si pro lubitu potestas disponendi circa subditorum bona Imperanti concessa esset, & cui jusque juri quæsito derogare licet, nunquam non metuendum foret, ne communis turbetur tranquillitas atque civitas propter cives Principi suo reluctantes & immorigeros plane evertatur. Quapropter boni Principes non solum leges suis subditis præscribunt, ut ipsi suis rebus bene utantur, sed insuper etiam, quantum possibile est, carent, ne Respublica detrudatur in eum statum, per quem necesse est subditis molestiam inferre.

§. XIII. **Quin imo** licet soluti sint legibus civilibus, at tamen legibus vivunt: Scilicet Principibus Deus subjecit Leges, ut ita ipsis a nemine Lex imponi queat, nec ipsis se ligare, vel sibi ipsis imperare valeant. **Quia** tamen digna vox est Imperantis, legibus potius alligatum, quam solutum esse, hinc ex singulari gratia erga eos, querum curam magna cum solertia gerunt, subditos puta, observant ea, quæ Legibus ab ipsis promulgatis continentur. Sic enim **Lex Falcidia** in Legatis Principi datis locum habet *l. 4. C. ad Leg. Falcid.* **Querela** inofficiosi testamenti, quæ filiis non jure exheredatis tribuitur, obtinet quoque in testamento, ubi Princeps institutus, filius autem exheres scriptus. *l. 8. §. 2. ff. d. Inoffi. testam.* Huc quoque spectat *l. 20. C. d. Pæn.* qua Imperator adeo restringit suam voluntatem ut executioni mandari nolit, si quid severius contra aliquem statuerit, quam delicti natura alias requirit, sed constituit per **XXX. dies** executionem differendam esse & aliud Rescriptum expectandum. Certe luculenter ex his Legibus patet,

ex  
ver-  
esse  
qui-  
en-  
cu-  
ne-  
que  
ige-  
um  
ran-  
ne  
esse  
, at-  
ecit  
si se  
gna  
olu-  
ram  
ea,  
him  
C. ad  
non  
to,  
l. 8.  
Pæn.  
ecu-  
ue-  
per  
cri-  
pa-  
tet,  
tet, regulariter hanc esse Principis voluntatem: Quod si ta-  
men circumstantiae ostendant, placuisse superiori, ut pro-  
priæ actiones ab illis Legibus essent immunes, sine dubio  
non erit judicandum secundum illas Leges: Et hinc in  
actionibus Principum vel Imperatorum, ubi sub lege annul-  
lationis vel punitionis aliquid est prohibitum, dispositio Le-  
gum non habet locum: Etenim diversos requirit volentes  
punitio & coactio nec cogens cum coacto in una persona  
simul subsistere potest. *Grot. Lib. 2. cap. 14. §. 2. num. 2.*

§. XIV. An vero in actionibus Principum locum ha-  
beat distinctio, qua actus distinguuntur, quod vel sint tales,  
qui a Rege quidem fiunt, sed ut a quovis privato, vel sint  
actus Regis, qua Regis, ita nimirum ut ad hos non pertineant  
Leges civiles, illi vero iisdem sint subjecti, quæri hoc loco  
potest? Sane quocunque modo hanc distinctionem consi-  
deres, semper privatum Principi celebrantes actum sub-  
diti permanent, cogere ergo nequeunt Principem ut leges  
servet, cum ipsi ejus sint subditi. *Grot. Lib. 2. cap. 14. §. 6.*  
*num. 2. in fin.* Quod si etiam distinctio accuratius perpenda-  
tur, patebit, quamvis jure naturæ omnes homines sint  
æquales, & quivis naturalibus legibus sit subjectus, non ta-  
men actus posse celebrari cum Principi ut subdito illius ci-  
vitatis, sed cum tali, qui a Deo tanquam summo LLatore  
obligatur ad socialitatem inter homines servandam. Quan-  
do autem negotia obveniunt, ubi Leges civiles solum locum  
habent & bonitas ac malitia actuum ex mero LLatoris civi-  
lis dependet arbitrio, nunquam resultabit, Principem in  
actu quodam haberi posse ut privatum. Si enim Leges ci-  
viles obtinere debent, necesse est, ut persona ejusque pa-  
trimonium imperio & dominio ejus, qui civitati præest,  
subsit. Nemini autem competit Imperium in ipsius Princi-  
pis personam, cum omnes in civitate ipsius Imperio subje-  
cti

**E**t si sint: Nec patrimonium ejus cuiquam superiori ratione juris eminentis obligatum est, quippe cum ipso superior nemo in Republica reperiatur. Tacebo jam, distinctionem illam aetuum Regis in actus regios & privatos pertinere magis ad relationem Regis defuncti cum successore, quam ad relationem Regis & subditorum.

**§. XV.** Quam ob rem evidenter patet, civilibus legibus nulli subditorum jus quoddam acquiri contra Principem, nisi quod ipsi Principes quandoque Leges, quas ipsi tulerunt, patientur ideo, ut iis maiorem concilient autoritatem. Principis enim exemplum, sancte Leges a se promulgatas observantis tantum operari poterit in subditis, ut & ipsi eo magis ad earum observationem teneantur. Multo minus Principis potestas civilibus subjicitur Legibus inde, quod haec Leges divinitus per ora Principum promulgatae, sint pars divini juris, quemadmodum *ex l. fin. §. Quid enim, ibi: divino quodam motu. C. d. Praescript. Long. semp. argumentatur Pruckman. tr. de Regalibus Part. i. cap. 3. n. 67.* Nam licet praeceptum, de parendo superiori, sit praeceptum divinum, cordibus hominum inscriptum, & hinc quivis superiorem in civitate habens, parendo Legibus civilibus, praecepto quoque divino satisfaciat, Princeps tamen in civitate neminem recognoscit superiorem, quomodo ergo contra Legem divinam peccare poterit, quem praeceptum de parendo superiori in civitate non stringit. Sicuti autem Princeps non est subiectus civilibus legibus, ut iisdem obligetur, ita quoque nemo subditorum jure exinde quæsito gaudere poterit ad quod servandum superior teneatur, nisi pactis aut promissionibus ita convenerit; Hic enim si plenitudine potestatis uti vellet superior, eadem non uteretur, sed abuteretur. *Liber Baro Frid. Schenck. Virid. Conclus. Tom. i. concl. 30. Sande Lib. 3. tit. 4. def. 1.*

### CAPUT III.

# CAPUT III.

De

## Regalium præscriptione ad subditos infeliciter extensa.

### SUMMARIA.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Variæ de Regalium præscriptione opiniones.   | 10. Status Imperii non tantum jure Gentium, sed etiam vi pactorum præscribunt. |
| 2. Quæ sit verior sententia.  | 11. Consuetudo non ligat Principem.  |
| 3. Qui veriorem sententiam sequi sint.  | 12. Nihil superior possidet vi Privilegii.                                     |
| 4. Neque per præscriptionem juris Gentium neque juris civilis subditis contra Principem jus acquiritur. | 13. Pacta inter Imperantes & parentes iniri solent.                            |
| 5. Regalia nullius dominio eminenti sunt subjecta.  | 14. Qua ratione alterius Imperio quis exsolvatur.                              |
| 6. Tacite subditis jura Principis non acquiruntur.  | 15. Regalia acquiruntur subditis spontanea concessione.                        |
| 7. Quæ sit vis præscriptionis immemorialis?   | 16. Lites de Regalibus inter Principem & subditos proprie non sunt.            |
| 8. An præscriptio immemorialis per generale statutum excludi queat.                                     | 17. Superior nulla indiget restituzione in integrum.                           |
| 9. Explicatur cap. 26. §. præterea X. d. Verb. Sign.  | 18. Temporis lapsus a delictis non excusat.                                    |

#### §. I.

**T**RANSIMUS jam ad ipsam Regalium præscriptionem de qua sufficienter constabit, quid circa illam sit sentendum, postquam de jure Principi circa Regalia competente pluribus actum fuit, simulque demonstratum,

tum, nihil juris contra Principem ex civilibus legibus acquirere posse subditos. Mirandum tamen, quod tam pauci observaverint, quanto jure Princeps gaudeat in relatione ad subditos, præprimis quoad præscriptionem, quam jus civile determinavit, quo usque sc. hæc sese extendat. Certe si autoritatibus pugnare pro lubitum esset, eorum Sententiæ, qui præscriptionem subditorum contra Principem admittunt, magnam conciliare possemus fidem, nisi persuasi essemus, tantum autoritati fidem non esse habendam, quanta jure merito solidis rationibus est tribuenda. Non tamen inter ipsos dissentientes dissensiones deficiunt. Omnes quidem præscriptionem contra Principis Regalia admittunt, non tamen omnes eodem modo præscribi eadem posse fatentur. Communiter præscriptioni Regalium immemoriale tempus præscriptum esse dicunt, non tamen in quorumvis Regalium præscriptione hoc concedunt. Sunt nimis, qui facultatem subditis tribuunt præscribendi omnia Regalia, sive illa sint majora, sive minora, modo per tale tempus fuerint possessa, cujus initii memoria non extet. Huic sententiæ favent. *Frid. Schenck. ad cap. 1. §. Quid ergo 2. Feud. 8. Hartm. Pistor. Lib. 2. q. 46. num. 22. Pruckman. de Regal. Part. 1. cap. 4. Memb. 2. Effect. 7. num. III. Schneidew. ad J. tit. d. J. N. G. & C. §. 9. num. 5. Zang. tr. de Except. Part. 3. cap. 10. n. 183. Berlich. 2. Concl. 8. num. 14. Mev. 7. Decis. 158. num. 13. Carpz. Part. 2. Const. 3. def. 24. & 25. Struv. Exerc. 43. tb. 24. alii que, quos longo ordine enumerare supersedeo. Alii admittunt, per immemorialem demum præscriptionem acquiri Regalia & quidem, quæ ita coniperunt, ut præter Principem alias ea expedire queat, seu quæ non debentur Principi in signum supremæ potestatis & subjectionis recognitionem.* *Finkelth. Controv. Feud. Disp. 4. tb. 21.*

Ziegler



Ziegler de Jurib. Majest. Lib. 2. cap. 6. §. 4 Alii distingvunt inter majora & minora Regalia, ratione illorum non curre precriptionem inter Principes & subditos asserunt, horum vero precriptionem intercedente tempore, cuius non extat memoria in contrarium conceduut. Job. Volk. Bechm. ad Aur. Bull. Disp. 4. Memb. 3. Admittunt tamen non nulli etiam precriptionem majorum Regalium, non quoad ipsum jus, sed exercitium, seu quoad redditus & emolumenta.

§. II. Quamvis autem variæ & diversæ sint de Præscriptione Regaliam ex parte subditorum contra Principem allatæ opinions, nulla tamen est, quæ omni ex parte regulis juris publici satisfacere possit, & suum Majestati undique tribuat. Magis ergo placet ab allatis opinionibus longe diversa iisque contraria sententia, qua Majestati servatur splendor & præminentia, subditis vero nihil adimitur, nisi quod ipsi sponte se suaque subjiciendo Principi concesserunt. Nimirum nulla satis est ne quidem centenaria temporis determinatio, aut probatio ejus temporis, quod memoriam hominum excedit, quale tamen dissentientes ad precriptionem rerum sua natura inpræscriptibilem, (quo pertinent Regalia,) sufficere putant. Nulli hic actus possessori patrocinium adferunt, nec bona fides unquam adjumento esse poterit. Subditos legum civilium participes esse statuimus, nec excludimus a jure, quod propter negligentiam suis juribus Dominos privat possessoresque rerum alienarum post determinatum tempus, verosefficit dominos: Non tamen statuimus ad jura subditis concessa pertinere Regalia, quounque etiam temporis spatio a subditis detenta fuerint, sed permanere summæ Majestati annexa & pro lubitū revocabilia.

§. III. Dum vero hic sententiam communi contrariam defen-

defendere aggredimur, & aberantes a veritatis semita opiniones, quas communiter sequi solent, propter rationes haud contemnendas, rejicimus, simul protestamur, factum hoc non esse ex quadam iactantia, quasi hic novum in lucem prodeat inventum. Magnæ enim autoritatis viros habuimus præeuntes, qui hujus nostræ opinionis asseclæ fuerunt. Ita enim *Pauerm. tr. d. Jurisdicſ. Lib. 1. cap. 23. n. 28.* negat, Jurisdictionem præscribi posse et contra Imperatorem, cum sit res publici juris in patrimonio Reipublicæ, non privatorum. Et quamvis hic tantam communi Dd. opinioni tribuat autoritatem, ut receptam esse affirmantium sententiam asserat, tamen addit, Jurisdictionem, quando per præscriptionem est acquisita, revocari posse non aliter, ac Jurisdictio ex liberalitate Principis concessa pro lubitu est revocabilis, cum publica utilitas semper possit tollere & infirmare præscriptionem. *I. 6. C. d. Operib. Publ.* Ex iisdem quoque principiis Dd. communiter errore in contrarium abiisse statuit *Surbolt. Disp. 6. tb. 13.* Ipse assentitur, Regalia habile præscriptionis objectum non esse: Et secundum hanc sententiam Facultas Juridica Halensis in causa concernente jus venandi Senatus H. Anno 1693. Mense Martio pronunciavit: Dass Beklagte dasjenige, so ihnen zu erweisen auferleget, und sie sich angemasset, wie recht nicht erwiesen, derowegen sie sich alles jagens, schiessens und Weide-Werck treibens in und außer denen zur Stadt gehörigen Hölzern gänzlich zu enthalten schuldig. Addita ratione decidendi inter alia: Und nach den Regeln gesunder Vernunft, sowohl auch nach denen gemeinen Rechten, die Unterthanen wider ihre hohe Landes Obrigkeit sich mit keiner præscription, am wenigsten aber, wenn es Regalien angehet, wohin das jus venandi auch gehört, schützen können.

§. IV.



§. IV. Ex principiis vero illius præscriptionis, quæ inter gentes invicem locum habet, hæc materia de præscriptione Regalium deduci non potest, quippe cum hic negotium non sit inter diversas gentes sed inter Principem & subditos in una civitate degentes. Nec est, quod dicas, Principem tamen cum subditis litigantem saltem pati debere, ut subditi adversus ipsum juris Gentium rationes allegent, quod hic idem est, ac jus naturale, sub quo certe Princeps tenetur. Nam nec hoc tibi quicquam proderit: Diximus enim supra, Præscriptionem juris Gentium nisi præsumta seu tacita derelictione, hæc vero derelictio tacita adversus Principem, expresse contrariam voluntatem declarantem, allegari non posset, cum frustra quæramus de voluntate tacita, quoties de expressa contraria constat. Imo esto, subditum ante Principis contradictionem ex ejus præcedente tacita voluntate rem acquisivisse, non aliter tamen eandem haberet, quam jure Privilegii gratiosi taciti. Sed Princeps privilegia grata semper quacunque ex causa tollere potest. Ergo frustraneum esset hoc jus subditi & inane, nec ultra naturam precarii extendendum. Ast præscriptio in civitatibus adhiberi solita & a summis Imperantibus determinata, sive illa sit longi, sive longissimi, sive immemorialis temporis, plane inepta est, ut per illam subditis jus quodam acquiri possit. Etenim introducta est ad coercendam civium negligentiam, ne multitudo litium cresceret & solertia ac vigilantia inter cives promoteatur. Qua ratione ergo summa cum imis miscenda essent, si summam in civitate Majestatem civibus assimulare, iisdemque eam coercitionibus cum subditis subjicere vellemus. Nihil aliud profecto esset, quam summam potestatem alterius subjicere Imperio, dominiumque ei adimere, cuius dominio omnia, quæ res publica continet, subsunt. Quapropter etiam Jure Romano nulla cujuscunque etiam temporis sit

(Præscript. Regal.)

E

præ-

præscriptio a tributis, aliisque collationibus publicis immunitatem præbere valet I. 6. C. de Præsc. XXX. ann. nec præscriptio ullius longi temporis res publicas subditorum efficerere potest. I. 2. C. Ne Rei domin. vel templ.

§. V. Remota jam utraque præscriptione tam juris Gentium, quam juris Civilis, sine dubio sequitur nullam præscriptionem hic admitti posse. Quoniam tamen ipsa etiam Regalia nobis argumenta præbent, quibus assertio nostra stabiliri possit, non abs re erit, si etiam de his quædam moneantur. Et quidem ipsum jus circa Regalia, quod Principi competit, tale est, ut præscriptionem respuat. Iis enim in rebus, ubi in civitate Leges feruntur, quæ propter domini negligentiam alteri, qui per certum tempus eas possidet, adjudicant, dominium aliquod eminens conspicuum est, cuius vi potestas circa bona subditorum aliquid statuendi competit, cum alias juri suo semel quæsito nemo privari possit. Econtrario Regalia sunt ipsius Principis, huic enim vi summæ potestatis in ipsum collatæ, sunt concessa, ut nemini subditorum ullo modo præter Principis voluntatem acquiri possint. Quomodo igitur negligentiae coercitio locum habebit, ubi nullum jus coercendi. Subditi, quibus parendi gloria relieta est Imperio Principis sese subjeatos profitentur, ideoque legibus circa bona ipsorum promulgatis obedientiam præstare tenentur, & legitimis ad hoc mediis a summo Principe vel Magistratibus, quibus hoc commissum est, adigi queunt. Nullius vero ipse Princeps imperium agnoscit, sive ille sit in civitate, sive extra eam: Extra civitatem enim præterquam ad præcepta divina, quæ omnes homines tenent, nulla adest obligatio. In civitate qui Majestatem lædit aut quicquam contra eam audet, tenetur ut criminis Majestatis Reus.

§. VI. Cum autem jus Principi per subjectionem aliorum acquisitum tale sit, ut citra ejus voluntatem adimi nequeat,

queat, quia post subjectionem Principi factam liberum  
deinceps subditis non est, Principem suum Majestate, qua  
pollet, exuere. Zieg. d. Jurib. Maj. Lib. i. Cap. i. §. 43. Hinc  
etiam evidens est absque Principis concessione Regalia in  
privatorum patrimonio esse non posse, cum solus Princeps  
iis, quæ in favorem ejus introducta sunt, renunciare queat.  
Hæc enim jura, sive externum sive internum civitatis re-  
gimen respiciant, sive pertineant ad Imperium in subditos,  
sive ad dominium rerum, per illum aëtum, quo cives se se  
alteri subjecunt, statim privatorum dominio eximuntur,  
ita, ut salva Majestate iterum avelli nequeant. Unde igitur  
dissentientes præscriptionis suæ fundamentum desumere  
poterunt, qui contra Principum voluntatem ex sæpe ite-  
ratis aëtibus, concurrente temporis lapsu jura Majestatis  
subditis asserere conantur.

§. VII. Ne tamen omni fundamento destitui videan-  
tur, sed autoritatem suæ sententiæ concilient, quibusdam  
sibi prospexerunt legibus, quas proponunt iis, qui nullo ju-  
dicio pollentes solo verborum sono contenti sunt. Nimi-  
rum talēm sibi fingunt præscriptionem, chimæræ haud ab-  
sīnilem, qualem ipsi cum ratione satis describere nesciunt,  
ad ipsam tamen Regalium præscriptionem vi cuiusdam  
occulta qualitatis, accommodatam. Præterquam enim  
quod in legibus dicatur, præscriptionem immemorialem  
habere vim legis, l. i. §. 23. ff. d. aquæ & aq. pluv. arc. l. 2.  
pr. ff. eod. & constituti l. 3. §. 4. ff. d. aqua quotid. & aestiv. l. 10.  
pr. ff. si servit. petat. vel quod æquiparetur rebus judica-  
tis, transactis ac finitis l. i. §. 12. ff. ad Sctum Tertull. insu-  
per quoque circa legum intentionem tantam ei efficaciam  
conciliant, ut eam æquali cum Principe loco constituant.  
Hinc vim habet privilegii Imperatorii, idemque operatur,  
quod expressa Principis concessio. Gail. i. Obs. 21. num. 15.  
Verum talia haud digna censentur responsione: Quis enim

ignorat, hoc vetustatis encomium vi legali non gaudere, nec præter verba quicquam continere, siquidem non temporis, sed Principi se cives subjecerunt, quomodo igitur tempus tam enormiter civitatem immutare poterit, ut sibi Imperantem, ejusque bona subjicere valeat: Sane Romani JCritam parum temporis tribuant, ut ne quidem obligationem per illud tolli posse statuant. §.3. *J. d. Verb. Obl. l.44. ff. d. Obl. & Aet.* Legum ergo interpretes citra Juris dispositionem illud adeo extollere non poterunt, acsi jus quoddam adversus principem subditi acquirere possint, cum ad hoc per se plane sit ineptum. *Grot. Lib.2. cap. 4. ff. 1.* Quamvis igitur concedam, habere præscriptionem, cujus non extat memoria in contrarium, vim Legis & constituti *per ll. alleg.* Nihil aliud tamen inde concludi poterit, quam quod subditi invicem obstricti sint, ut possessori per tempus immemoriale rem tamdiu possessam relinquere tenentur, hoc tamen non vi temporis, sed vi legum de possessione, cujus non extat memoria, latarum, fieri manifestum est. Ceterum hisce Legibus se ipsum princeps non obligabit, ut hinc subditis jus quoddam nascatur, cum non sibi, sed aliis Princeps legem dicat. *l. 40. §. 1. ff. d. Fideic. Libert. Fab. in C. Lib. 1. tit. 3. def. 8. num. 2.*

§. VIII. At vero, inquiunt dissentientes, non destituimur legibus, quibus jura sententiæ nostræ prospixerunt. Summa enim capita Legibus suis se submiserunt & jurias alias sibi competenti renunciarunt, si nimirum quis reperiatur, qui in possessione juris cujusdam, pertinentis ad Principem, per tale tempus fuerit, cujus initii memoria non extat. Audiamus ergo ubinam refugium quærant: Nempe adducunt hunc in finem a sententia eorum plane abhorrentem *l.6. C. d. Præscr. XXX. ann. Wesenb. in Parat. ad ff. d. Usuc. n.7.* Ficto tamen colore quodam hic opus est, ne alias allegando hanc legem nihil agant. Tribuunt eam

eam in rem immemorali præscriptioni tantam eminentiam, ut nullius Legis vel statuti, quo præscriptio longi vel longissimi temporis prohibetur, verba tam generaliter concipi possint, ut sub iisdem hæc immemorialis censeatur comprehensa, sed iis in casibus, ubi præscriptio longissimi temporis locum habet, si omnis exclusa sit præscriptio, intelligatur, præter eam, cuius initii memoria non extat. *Fab. in C. Lib. 7. tit. 23. def. 5. Schrad. d. Feud. Part. 5. Cap. 4. n. 10. Brunnem. d. Jur. Eccles. Lib. 2. Cap. 11. §. 8.* Attamen cum determinationes temporum Legibus demum fiant, non patet, quomodo hæc sententia, qua, exclusa præscriptione longissimi temporis, exclusam tamen non esse præscriptionem, cuius non exstat in memoria in contrarium, dicunt, conveniat cum doctrina de præsumtionibus. Nam semper quidem præsumuntur adesse ea, quæ naturaliter rei insunt, verum non est de natura rerum, ut per Possessionem immemoralis temporis, citra legis determinationem acquirantur a vero domino, sed de facta a legibus determinatione constare debet: Hinc priusquam determinatio hæc probetur, præsumtio præscriptionis quanticunque etiam illa sit temporis, locum non habebit, quoniam ea quæ facti sunt, non præsumuntur, sed probatione indigent. *I. 10. C. d. non. num. pecun. I. 16. C. d. Probat.* Hoc igitur nonnulli animadvertisentes, hanc legem *6. C. d. Præscr. XXX. ann.* tantummodo ad casum de præscriptione præstationis tributorum, ibi expressum, restringunt. *vid. Facbin. 8. Controv. 3. § 23. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 23. tb. 4.* Sed cum in cœteris Regalibus eadem sit ratio, ideo potius invertendum, illam legem nostræ sententiæ favere, & ex eodem fundamento, quod publicæ res a subditis non possint præscribi, esse derivatam.

§. IX. Interim diffiteri nemo poterit, eis, qui verba solum in legibus considerant, non vero earum vim atque

potestatem, jus Pontificium pro defensione præscriptionis immemorialis Regalium, magnum adferre solatum, ut potente quo pedagia, guidagia, salinaria, quæ longa consuetudine, cuius initii memoria non extat, fuere possessa, præscribuntur. *cap. 26. §. Præterea X. d. Verb. Sign.* Verum quis non videt Innocentium III. Romanorum Papam eo tempore de juribus Principum parum sollicitum fuisse, sibi potius imperium in eos afferens, quia tunc favente superstitione Imperantium, Papalis potestas ingentia acceperat incremen- ta, adeo, ut facili negotio liberalitatem de alieno exercere, subditisque Gallis redditus quosdam concedere potuerit, si per immemoriale tempus illos possederint. Non enim difficulter expedire hoc poterat ille, cuius pœnis & coërcitionibus Principes subjecti erant, & cui omnem potestatem in cœlo & in terra æque ac Christo, (cujus vicarius Papa Romanus dicitur) communiter adscribebant. Sed postquam per divinam gratiam liberati sumus a cultu huic idoli, & haecenus jura Principum tam in Ecclesiasticis, quam secularibus strenue & felici nonnunquam cum successu, a pluribus fuerunt defensa, mirum, quare ex falso principio provenientes ejusmodi Constitutiones Papales, nihilominus adhuc juris nomen mereantur: Atque adeo licebit hic observare exemplum Jurisprudentiæ nostræ etiam apud Evangelicos JCtos ex incuria quandoque Papizantis. Si tamen summi Imperantes occasione *cap. huj. 26. §. Præterea X. d. Verb. Sign.* jura sibi competentia sub conditione, si per tempus immemoriale a subditis fuerint possessa, concedere velint, sine dubio *dict cap.* valebit, potestas enim renunciandi juri suo Principi competit, ita tamen ne in vim legis teneatur, sed subditi ex liberrima superioris concessione possideant jus semper revocabile.

§. X. Ulterius dissentientes sententiam suam publicis Imperii legibus comprobata esse affirmant, eumque in finem

finem allegare solent. *Recess. Imp. de ann. 1548.* §. Und soll unser §. Wann auch ein ausgezogener §. Wo aber innerhalb MenschenDencken. Quibus textibus satis perspicue sententiam de præscriptione immemorialis temporis, quam in Regalibus sufficere putant, admitti dicunt. Sed salva res est. Quisquis enim Imperii nostri Statum considerabit, inter Imperatorem & Status Imperii respectum Imperantium & parentium propriæ dictorum deficere, videlicet, ita ut Recessus comitiali consensu confectus non vi legum ab Imperatore latarum, sed vi pactorum ultro initorum, Status obliget. Quando igitur in Comitiis admittunt universi Status, quod eximens superior Status ab immediata jurisdictione Imperii, alium, qui haec tenus immediatus Imperii Status fuit, permanere debeat in possessione juris, si eximens probaverit exemptum neque votum, neque sessionem in Comitiis habere, nec feuda, immediate Imperio subjecta, possidere, nec etiam intra tempus, quod memoriam hominum excedit, collectas Imperii, quas Status Imperii, communiter solvere tenentur, ei esse indetas, vel exactas, tunc non violatur jus Imperatori competens, siquidem hoc ultra pacta invicem inita, quæ Legibus Imperii publicis continentur, sese non extendit, sed præscriptio, quæ inter gentes locum habet, quandam consequitur determinationem. Quapropter *Recess. de ann. 1548.* cit. §§. non pertinent ad præscriptionem subditorum contra Principes, sed ad præscriptionem summorum Imperantium, inæquali fœdere junctorum.

§. XI. Sicuti vero ius scriptum dissentientibus patrocinium adferre non valet, ita quoque frustraneum est, in consuetudine quadam refugium querere. Hæc enim intelligitur vel de ipsa præscriptione & inveterata consuetudine, qua ius Reservatis Principis utendi dicitur introduci, quemadmodum hoc sensu accipitur consuetudo

in

in cap. 26. §. præterea X. d. Verb. sign. Schneidew. ad 3. tit.  
d. Jur. Nat. Gent. & Civ. §. 9. nnn. 5. Vel denotat illud jus,  
per quod dicuntur susiditi tali facultate prædicti, vi cuius  
Principum Regalia præscriptione acquirere valent,  
quemadmodum dici solet, usu introductum esse, ea quæ  
privilegio transferri possunt in subditos, immemoriali quo-  
que præscriptione acquiri. Utroque sensu tamen nihil re-  
peritur, per quod dissentientes suæ sententiæ fidem facere  
possint. Nam, quod primum sensum attinet, petit ea asser-  
tio id, quod est in principio, & respondimus jam ad cap. al-  
leg. §. 9. Quoad posteriorem, licet consuetudinis, usus-  
que longævi non vilis sit autoritas, possibile tamen non  
est, consuetudinem introduci posse, quæ obligaret Prin-  
cipem. Diuturni quidem mores, accedente tacito Princi-  
pis consensu, legem imitantur, non tamen plus operari pos-  
sunt, quam leges expressa superioris voluntate promulga-  
tæ. Quemadmodum igitur leges se non extendunt eo,  
ut Principis personam comprehendant, ita quoque con-  
suetudini nimia tribuerentur vires, si facultas Principes  
ligandi illi adscriberetur. Quod si ergo vestigalia exer-  
cendi potestate per tempus, de cuius memoria amplius  
non constat, quis usus fuerit, vel moribus ita observatum,  
ut Regalia per tale tempus possessa hactenus relieta sint  
suis possessoribus, liberum nihilominus erit, hoc ipsum pro-  
lubit iterum mutare, & jura per tantum tempus detenta  
iterum revocare absque nocumento juris cuiusdam sub-  
diti. Jus enim Principi competens cuiusdam consuetudini  
succumbere non poterit, ut in usum amplius revocari non  
possit, nec ita morietur, ut suscitari a Principe amplius ne-  
queat: Imo tollit Princeps leges scriptas & consuetudines,  
quomodo ergo sub consuetudine esse posset.

§. XII. Destruetis jam fundamentis illius sententiæ,  
per quam quovis in casu Regalium præscriptio approbatur,  
diffici-

difficile amplius non erit, refellere eorum sententiam, qui partim præscriptionem admittunt Regalium minorum, partim nobiscum Regalium majorum præscriptionem reprobant. Utuntur sc. iisdem fundamentis ad probandam Regalium præscriptionem eo casu, quo hæc jura Principi non debentur in signum supremæ potestatis & subjectionis recognitionem. Sicuti igitur ex antea dictis constat, nihil quicquam solaminis in allegatis legibus contineri, ita quoque monita ad illas leges sufficere queunt. Monendum tamen adhuc circa id, quod affert *Finkelb. controv. Feud. Disp. 4. tb. 21. lit. B.* quando a Regalibus, quæ in signum superioritatis & subjectionis competunt, distingvit ea, quæ in signum singularis Privilegiis ad Principem spectant: quod sc. privilegia omnia concedantur ab iis, qui summam in Republica habent potestatem, *Ziegler. d. Jur. Maj. Lib. 1. Cap. 12. §. 1.* & juri subiectos ab illo jure eximere, ipsi adeoque Imperanti privilegia talia concedi, non dicendum, quorum vi jura Majestatis teneat. Ceteros quod attinet dissentientes, de iis non erimus solliciti, quacunque enim ratione suas distinctiones proferant, semper tamen convenient, quoad modum probandi eam distinctionis partem, in qua præscriptionem immemorialem locum habere afferunt.

§. XIII: Inter eos, qui in societate Gentium vivunt varia iniri posse paëta, Regalium præscriptionem concernentia, vidimus §. 10. huj. cap. Cum vero inter Imperantes & parentes pariter paëta sint servanda, utpote, sine quibus tranquillitas generis humani salva esse nequit, hinc quandoque invicem, uti de aliis rebus, ita quoque de particulis summae Majestati cohærentibus, paëta ineuntur, quibus summi Imperantes profitentur, se a subditis ea Regalia, quæ tempore vel longo vel longissimo, vel quocunque alio, prout hoc inter pacientes placuerit, possessa, nolle repetere, sed in quieta velle possessione relinquere, imo (*Præscript. Regal.*)

F

etiam

etiam contra illegitime turbantes defendere pollicentur. Ita enim communiter comparatum esse solet in civitatibus, ut licet respectu subditorum potestas Principum sit plena & absoluta, tamen sibi subditi praeter generalia pacta, quibus quisque Imperans ad promovendos civitatis fines tenetur, specialibus pactis, legibus fundamentalibus alias dictis, sibi prospiciant, & Principes ad ea sancte custodientia obligent: Interea quoniam haec pacta in terminis naturalis obligationis subsistunt, nec ulterius progrediuntur, ut remedium suppeditetur, vi cuius Princeps ad observationem ejusmodi pactorum compelli posset, ideo nulla quidem ex ejusmodi pactionibus subditorum cum Imperante initis, perfecta, sed imperfecta obligatio, jure naturae saltem firma, nascitur.

§. XIV. Quin & praesens potentia subditum eximere potest a jure subjectionis illius Principis, cui haec fuit subiectus. Pariter enim ac patrisfamilias Imperium tanta aliquando accipere potest incrementa, ut ii, qui antea in familia erant, proprias instituant familias, tantisque coniunctim praediti sint viribus, quae ad finem civitatis consequendum sufficient; Ita quoque potestas subditi alicujus Principis adeo augeri potest, ut in peculiare imperium civile excrescat, ut postea ab omni subjectione exemptus, vicinis civitatibus propriis resistere valeat viribus. Non tamen eodem plane modo haec comparatio procedit. Etenim illo casu, ubi patrisfamilias extra statum subjectionis est constitutus praeter potestatem & consensum ineundi civitatem nihil amplius requiritur: At autem hoc modo subditi potestate si alter Princeps, cuius subditus erat ille, qui separatam civitatem constituere audet, statim resistit, & quando jus suum in praesentiarum prosequi nequit, protestatione, aliisque modis solitis, pristinum jus reservat, nihil juris quant-

quantocunque etiam tempore sit in illius detentione, legitime sibi afferere poterit, quia ab altera parte tacita juris derelictio deficit. Requiritur ergo ut absque protestatione tales exerceat aëtus, ex quibus colligi possit, summam potestatem concessam esse illi, qui alienæ subjectionis jus respuit, v. g. jus belli, pacis &c. vel etiam is, qui olim erat superior, data occasione jus suum non prosequatur, sed quietam nihilominus possessionem relinquat, sine dubio tacita juris derelictio inde erit colligenda, si tanto tempore jus fuerit relictum, quo alias moribus gentium præscriptio impleta dicitur.

§. XV. Sponte quoque, nullo intercedente pacto, summi saepius Imperantes Regalia aliaque jura in subditos suos transferunt ex singulari clementia, si per tempus immemoriale ab iisdem fuerint possessa. Äque enim Regalia separatim in subditos conferri poterunt, ac nonnunquam omni subjectionis vinculo remisso, alicui Princeps concedere potest, ut ipse tanquam supremus Princeps præsit, ab omni postea subjectione exemptus. Quoniam tamen facta separatim Regalium translatione respectus imperandi & parendi non definit, sed non obstante Regalium concessione uterque obligatus permanet ad id, quod ad promovendam civitatis tranquillitatem requiritur, hinc propter utilitatem Republicæ, cui quævis præscriptio cedit, semper revocari poterunt concessa regalia, non aliter, ac precarium omni tempore est revocabile. Exempla, quibus subditis jura ad Rempublicam spectantia propter antecedentem præscriptionem relinquuntur, passim in jure Romano occurruunt. Ita enim Romani Imperatores ex singulari erga subditos beneficentia post lapsum certi temporis suis renunciarunt juribus & noluerunt, jus quoddam publicum moveri posse, sed soplitum

illud & extinctum declaraverunt. *I. 4. C. d. Præscript. XXX.*  
*ann.* An vero Romani Imperatores voluerint, merum  
etiam & mixtum Imperium per præscriptionem XL. an-  
norum præscribi posse, quod putat *Fachin. 8. Controv. 23.* du-  
bium est. Cum talis præscriptio juri publico admodum  
obsistat & crimini Majestatis annumeretur, juribus Magi-  
stratus abque concessione Principis uti. Placuit tamen Im-  
peratoribus, in fundis patrimonialibus relinquere jura  
possessorum in eo statu, in quo per XL. annos fuerunt,  
*I. ult. C. d. fund. patrim.* & vetustatis auxilio prospexerunt  
iis, qui ad comparationem rei dominicæ accesserunt, dem-  
to canone, quod alias licitum non erat, citra jacturam  
tam ipsius fundi, quam etiam pretii. *I. 7. C. d. Fund. rei*  
*privat.* Has leges imitantur passim ordinationes Provin-  
ciales, vi quarum subditis interdum venandi potestas an-  
tiquitus competens a supremis territoriorum dominis  
confirmatur. *vid. Magdb. Policien-Ordn. cap. 9. Sect.*  
*II. §. 11.*

§. XVI. Spectant huc lites, quas Principes subditis  
& subditi Principibus quandoque movent, ratione cer-  
torum jurium, quæ vel Princeps sibi afferit suisque an-  
numerat regalibus, vel subditi a Principe revocant tan-  
quam jura subditis competentia, nec inter Regalia refe-  
renda, v. g. An subditis jus venandi competit? An me-  
talli fodinæ, lapidicinæ, aluminis, vitrioli Regalium jure  
censi debeat? Hisce in quæstionibus solliciti admo-  
dum esse solent, ut discernant, quænam jura inter rega-  
lia sint computanda, adeo ut limites Regalium reperire  
nesciant. Distinctio inter nobilia & ignobilia me-  
talla iis non sufficit; hinc provocant communiter in his  
angustiis ad consuetudinem, acsi hæc apta esse possit, ut  
in ea summa in Republica capita acquiescere, illique po-  
testatem

testatem suam alias solutam submittere teneantur. Ita enim, an vilioris metalli fodinæ regalium jure censeri debeant, consuetudinem locorum inspiciendam esse asserunt *Rauchb. Quæst. Jur. Civ. & Sax. Part. I. q. 22. num. 10. Struv. Synt. J. F. cap. 6. tb. 26. n. 7.* Quamvis autem libenter concedamus non tantum expressa voluntate Principis, sed etiam tacito ejusdem consensu regalia quædam constitui posse, quæ alias privatorum usibus erant relicta, sicuti hoc undique satis comprobat experientia in jure venandi, occupandi insulas in mari, fluminibusque, in jure retinendi thesauros inventos, in jure circa metalli fodinas aut lapidicinas in agris privatorum; nihilominus tamen abunde constat, hoc casu neutquam consuetudinem allegari posse, præcipue si summum Principis jus per illam damnum aliquod sentire videatur. Interim non dissimulamus, frequentes admodum extitisse casus, quibus ex hoc ipso fundamento, nimis observantia loci, decisæ fuere dubiæ in jure obvenientes quæstiones. Attamen ut summae potius Principum clementiæ adscribendum. Tanta enim sæpen numero est eorum indulgentia, ut jura haetenus possessa subditis relinquant, nec ab illis, etiamsi respectu Principis jure quæsito non gaudeant, revocent.

§. XVII. De Restitutione vero in integrum propter Regalium præscriptionem per tempus imminutum ex capite ignorantiae, quam Principi quoque competere asserunt, inanis forte jam erit quæstio, postquam constat, Principum jus adeo intactum permanere, ut nullum temporis spatium tanta gaudere possit efficacia, qualis requiritur ad subjiciendam principalem potestatem coercitioni negligentiae. Sane an detur restitutio in integrum, per quam causæ laesæ vel amissæ redintegratio laesis Principi

pibus attribuatur non ignota inter Dd. est quæstio, aliis affirmantibus, aliis negantibus, quos refert Sfort. Odd. tr. d. Restit. in Integr. Part. I. q. 4. art. 14. Ipse distinctione rem expediti posse, arbitratur, quod nimurum ex læsione vel resultet ipsius Reipubl. aut status læsio, vel talis non resultet: Hoc casu restitutionem in integrum non habere locum admittit, illo vero candem concedit. Assentuntur Caldas ad l. 3. C. d. in integr. restit. min. verb. Minoribus num. 62. & Schrader. d. Feud. Part. 10. sect. 9. num. 22. qui tam restitutionis, quam aliorum beneficiorum minoribus indultorum participes esse volunt Principes, in iis quæ Republicæ nomine geruntur: Imo contra præscriptionem immemorialem locum esse remedio restitutionis in integrum patat Sfort. Odd. Part. 2. q. 90. art. 7. n. 32. Verum positis nostris principiis non difficile erit, definire, quid utilitatis contineant hæ quæstiones. Non enim affirmantibus ad stipulamur, quippe cum tale jus subditis non adscribamus, quod producere possit actionem qua subditi adversus Principem efficaciter uti possent, ubi ergo nulla actio, ibi nec restitutio in integrum locum habet. l. 16. pr. ff. d. Min. Sfort. Odd. Part. I. q. 17. art. 7. Nec negantibus fidem habemus, cum hi Principes ejus beneficii, cujus ipsi autores sunt, indignos judicent & subditis eos æquales constituant, ut enivis perfecte jus competat remediis coactivis suum a Principe consequendi. Nec etiam distinctio quicquam operari poterit, cum absque discrimine summorum Imperantium actiones nullius hominis imperio sint subjectæ. Quam ob rem, cum nulla læsio inferri possit Principi a subditis, hinc nec quicquam locum habere poterit de restitutione in integrum contra jus per præscriptionem regalium, tanto tempore, cujus in contrarium memoria non extat, acquisitum.

§. XVIII.

§. XVIII. Cum non minus jus determinandi pœnas circa subditorum delicta, quam aggratiandi tributum fuerit Princi-  
pi supra, conveniens erit hic de præscriptione delictorum, quid  
sentiendum sit, paucis admonere. Legibus civilibus cautum  
est, ut omnia fere criminia præscribantur spatio XX. annorum  
*I. 12. C. ad L. Corn. d. sal. nisi minora temporum in specie fue-  
rint constituta.* Sic enim stuprum, adulterium aliaque crimi-  
na, quæ lege Julia coërcentur, quinquennali tempore præscri-  
buntur. *I. 29. §. 6. ad I. Jul. d. adult.* Verum hæc leges saltē  
indigitant, Principem summis suis juribus uti voluisse ratio-  
ne potestatis aggratiandi, & legibus civilibus determinatas pœ-  
nas ita declarasse, ut sublatas eas velit, si tantum temporis spa-  
tium fuerit præterlapsum, quantum in iis est expressum.  
Magistratibus pariter inferioribus Regulæ hic sunt præ-  
scriptæ, quibus morem gerere tenentur, vi quarum legum,  
ex propensa superiorum erga inferiores voluntate, post defi-  
nitum temporis lapsus delinquentes a pœnis immunes de-  
clarare debent. In Principis enim est positum potestate, an  
mitigare, an exasperare pœnas delictis statutas velit. Quic-  
quid igitur immunitatis rei criminum per hasce leges con-  
sequuntur, unice adscribendum erit summorum Imperantium  
clementiæ, cum per se diuturnitas temporis etiam millenaria  
excusare nequeat. Imo jure canonico tanto graviora judi-  
centur delicta, quæ diutius infelicem animam detinent alli-  
gatam. *cap. fin. x. d. Consuetud. cap. 8. x. d. Consangv. & affin.*  
Quam ob rem per denegationem hujus beneficii post tempo-  
ris lapsus, delinquenti neutiquam injuria infertur; quin pa-  
tius dicendum, eum merita ob delictum pœna affici.

## COROLLARIA.

I. Est non solum civilis, sed & naturalis regula in pari causa potiorem ef-  
fe conditionem possidentis. Quæ uti in multis negotiis usum præbet, ita etiam  
in actionibus realibus & præprimis Rei Vindicatione liberat ab onere pro-  
bandi, ita, ut Possessor non teneatur titulum possessionis suæ edere, sed actore  
non probante, absolvatur. Itaque non mirum, quod in illa actione ante  
omnia de possessione summarie judicandum, ut appareat, quis Reus esse debeat,  
quis actor. Hinc originem dicit differentia inter judicia possessoria, & peti-  
toria, possessorum itidem ordinarium & summarium. 2. Sed

617.9.04  
2.  
2. Sed quid si Princeps cum subdito litiget de Regalibus aut bonis Domanialibus, utrum & hic subditus contra Principem in possessione momentanea tuendus, an vero manu Regia a Principe adigi poterit, ut possessione sua cedat, & jus suum, actoris partes suscipiendo, & titulum acquisitæ possessionis probet? Tractarunt hanc questionem præter alios Chopinus de Domanio Francie Lib. 3. tit. 10. Papon. d. Arrestis Lib. 5. tit. 1. arrest. 9. Besold. Consult. 180. Frid. a Sande in Consuet. Geldr. Feudal. tract. 2. cap. 4.

3. Nos ex principiis Dissertationis nostræ breviter afferimus, subditum cum Principe super Regalibus aut bonis Domanialibus litigantem regulariter, id est, nisi alia quædam circumstantia exceptionem ex æquitate suggerens adsit, in possessione summaria tuendum non esse, sed teneri cedere possessione & actoris partes sustinere.

4. Hic vero non opus est dispicere de Legibus sive juris Iustinianei, sive Pontificii, sive statutarii, aut ad eas, si forte subdito favere videantur, responderem. Cum dissertatio ostenderit, eas parum pertinenter Princi opponi, res potius ex jure naturali dirimenda.

5. At cum ostenderimus contra communem sententiam, subdito adversus Principem ne quidem possessionem immemorialem in hoc negotio prodesse, sua sponte fluit, quod multo minus ei prodesse queat possessio momentanea. Absurdum enim esset, ei adjudicare possessionem momentaneam, de quo certum sit, quod non possit obtinere in possessorio ordinario.

6. Hic igitur non est par causa Regis & subditi, cum regulariter & in aliis negotiis pro pari causa non habeatur, si pro uno militet præsumtio, maxime si sit præsumtio juris & de jure, quam dedimus. Taceo aliam præsumtionem juris: In concursu Regis & subditi in dubio subditus potius habebitur pro malæ fidei possessore, quam Rex pro petitore doloso.

7. Atque hæc ita evidenter sunt, & ita juris Gentium ut apud multas gentes res in proverbium, vel si mavis brocardicum juris abierit: Ita ut Gallis dicatur: Le Roi ne plaide pas saisi. Ita in Cancellaria Clivensi regulam esse acceptimus De Heer konnt niet gepeindet te Hove.

8. Unde frustra foret querere: Utrum Galli a Clivenibus, utrum hi ab illis regulam in suum forum traduxerint? Præprimis, cum, ut alia inconvenientia ratiocinari, sic ante omnia discutienda foret quæstio ræjudicialis, sed valde intricata: Utrum veteres Franci quoad originem Galli, an Germani fuerint? De exceptionibus Regulæ alias

### Tantum.



MC  
VDM

